

NOS
JOSEPHUS ALOJSIUS,
PUKALSKI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TARNOVIENSIS

COMMENDATOR

Ordinis c. r. Austr. Francisci Josephi,

Præses Commiss. pauperum Tarnoviæ.... Membrum variarum Societatum....

Universo Venerabili Clero salutem et benedictionem!

Falsissima quæque principia jam contra fidem Catholicam et institutiones veræ Ecclesiæ, jam contra omnem auctoritatem civilem ecclesiasticamve divulgantur præprimis in Italia; imo oratoria ibidem Protestantium ac scholae eriguntur, elucubrationesq. eorum fidei nostræ adversantes undequaque sparguntur; matrimonium in periculo versatur; Conventus, Capitula, beneficia simplicia supprimuntur; bona eorum a potestate civili occupantur: Antistites pelluntur aut carceribus includuntur... omnique irreligiositati janua aperitur... Et proh dolor! tanta in perniciem religionis, moralitatis, æquitatis ac justitiae a filiis ecclesiæ nostræ moliuntur! Si vertimus oculos ad M. Ducatum Badensem, ibidem Conventionem cum Sede Romana solenniter initam, per Gubernium ejas eversam cernimus. In Gallia libellus quidam creationem Ecclesiæ Gallicanæ, a Roma independentis deprædicat. Asia orientalis et occidentalis terram sanguine innumerorum Martyrum irrigat. Successor Petri circa circum septus, in dies magis angustiatur. Hicce vivus a tot annis Martyr contuens imo compatiens tot tantasque calamitates, quas Rector universi Ecclesiam nunc pati permittit, *Consistorium secretum* 17. elapsi men. et a. congregavit, coram quo cuncta a Nobis breviter attacta infortunia lachrymando percurrit, nec non Sese, Suos doloris Socios ac nos consolatur, et confisus misericordiæ divinæ, suffragiisq. Immaculatæ atq. SS. AA. Petri et Pauli &c. cunctos ad continuas pro convertendis Ecclesiæ hostibus preces cohortatur. De his et pluribus ex Allocutione supra citata, et horsum missa, certiores facti, quanto-

cyus tenorem Ejus integrum typis divulgandum demandamus, commendantes, ut Venerabilis Clerus quo fortior staret in fide &c. opera theologica et juridica, quoad *Hierarchiam*, auctoritate Ecclesiæ exornata diligenter volvat, insuper in tanta Ecclesiæ, imprimis Sanctissimi Patris nostri calamitate, *Collectam* pro Papa ultro in Missa summere fidelisq. populus *1. Pater et 1. Ave* cum *Gloria P.* recitare haud desistat... donec tempestas tot miseriarum voce exorati divini Gubernatoris omnipotente quoocyus, cum jubilo tot nationum... sedetur...

Allocutio de 17. Dec. 1860. sequentis est tenoris:

„Venerabiles Fratres"

„Multis gravibusque vel ab ipso sui exordio jactata procellis Ecclesia miserrima hac nostra aetate tot tantisque hostium aggressionibus petita est, ut conceptum jampridem ab ipsis odium omnisque furoris maturitas in Nostri Pontificatus tempus erupisse videatur. Neque vero persequamur singula necesse est, Venerabiles Fratres, quæ haud ita longo annorum intervallo acerba et gravia contigerunt, quorum memoria Nostrum aeque Vestrumque animum non levi moerore perfundat. Illud vero dissimulare non possumus, pro arcano Dei judicio nullum adhuc fuisse impositum tam multis calamitatibus modum; novas quippe dolemus ingruere tum ex fautoribus perversae doctrinae, quae a funestissimae Reformationis principiis orta pravitate publici veluti juris robur alicubi obtinuit, tum ex impiorum hominum, qui Catholicae Ecclesiae se filios praedicant, appellandi vero sunt filii tonebrarum, tum denique ex ethnicorum furore, qui per Orientis regiones in caedem exitiumque fidelium vehementius efferbuit.

Et sane maxime est deplorandum, in quampluribus Europae partibus de Ecclesiae potestate ac juribus perniciosissimos errores invaluisse: hinc adhibitum assidue studium ad vim omnem abjudicandam initis cum Apostolica Sede de re sacra conventionibus, hinc omnis impensa cura, ut ne conventiones aliae contrahantur in posterum ad componenda Ecclesiae negotia, utque iis componendis moderandisque civilis dumtaxat accedat auctoritas. Quod quidem non sine gravi animi Nostri molestia experti nuper sumus, Venerabiles Fratres. Pro Apostolici enim muneris officio ad relevandas in Magno Badarum Ducatu Catholicae Ecclesiae res, et extinguenda illic exorta cum civilli potestate dissidia, superiore, ut scitis, anno cum Celsissimo illo Duce conventionem inivimus, quae quum rata fuisset habita, et vero etiam in vulgus emissa, ejusdem executionem, ut par erat, praestolabamur. Verumtamen, refragante huic rei publico illius Ditionis Consilio, a Magno Duce decretum fuit editum, quo conventioni vis omnis adimitur, in ejusque locum rogata lex est Ecclesiae libertati vel maxime adversa. Id porro ex falsa protestantium doctrina derivatum intelligimus, qui autumant Ecclesiam in civili Imperio quoddam veluti Collegium existere, nullisque proinde pollere juribus, praeter ea, quae concessa illi sint atque attributa a civili potestate. Id autem quantopere abhorreat a veritate ecquis non intelligat? Ecclesia nempe ut vera et perfecta societas a divino auctore suo fuit instituta, quae nullis circumscripta regionum finibus, nulli etiam civili subdatur imperio, suamque potestatem ac jura ubique terrarum in hominum salutem libere exerceat. Nec

sane aliter indicant solemnia illa Christi Domini ad Apostolos verba: „Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra, ite docete omnes gentes.... docentes eas servare omnia, quaecumque mandavi vobis“. Quibus excitati vocibus Evangelii praecones Apostoli, repugnantibus et regibus et principibus, nullisque seu minis seu suppliciis deterriti demandatum sibi ministerium alacriter sunt executi. Nos itaque de salutaribus Ecclesiae juribus tutandis vehementer solliciti, vix dum cogitari atque agi audivimus de eadem conventione infirmanda, Nostras continuo Magno Duci dedimus litteras ad malum hoc avertendum, atque adeo per Cardinalem publicis negotiis praepositum apud Gubernium illud instandum curavimus, ut debitae executioni conventio mandaretur. Sed enim quum impensa omnia studia curaeque in irritum cesserint, quod Nostri officii est, abrogatam contra omnes justitiae regulas sine alterius partis consensu solemnem conventionem Vestro in coetu, Venerabiles Fratres, palam conquerimur, et Catholicae Ecclesiae, Sanctaeque Sedis jura violata pessumdata vehementiori quo possumus studio reclamamus. Quae Nostrae expostullationes ut ad Badense Gubernium transmittantur mandavimus, simulque declaretur Archiepiscopo Friburgensi agendi ratio tantis in difficultatibus adhibenda; cujus praeclari Antistitis ejusque etiam Cleri commendare satis non possumus in Ecclesiae libertate tuenda constantiam, a qua nunquam ipsos vel in summo rerum discrimine discessuros plane confidimus.

Jam vero quum ob turbatas iterum in Magno Badarum Ducatu sacras res, expositamque illic novis jactationibus Ecclesiam doleremus, alia Nobis accessit molestiae causa ex nequissimo libello nuper Parisiis edito, in quem tam multa prorsus a veritate aliena, tam multa etiam absurda atque inter se pugnantia auctor congessit, ut respuendus potius atque aspernandus, quam refutandus videatur. Illud tamen non est ferendum, quod eo audaciae atque impietatis devenerit, ut posteaquam sacrum civilemque Ecclesiae Romanae principatum impetere non sit veritus, peculiarem quamdam novique generis sibi fingat Ecclesiam in Galliarum Imperio ex illius sententia excitandam, quae ab auctoritate Romani Pontificis subducta sit planeque divisa. Id porro quid est aliud, quam distrahere, ac proscindere Catholicæ Ecclesiæ unitatem? De qua quidem necessaria unitate ita Christus Dominus ad Patrem: „Non pro eis rogo tantum, sed pro eis etiam, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me es, et ego in te“. Atqui hujus unitatis vis et ratio omnino postulat, ut tamquam membra cum capite, sic universi per orbem fideles cum Romano Pontifice, qui Christi in terris Vicarius est, conjungantur et coalescant. Quamobrem ad Praedecessorem Nostrum sanctae memoriæ Damasum scribebat Ecclesiae doctor Hieronymus „Beatitudini tuae hoc est Petri Cathedrae communione consocior, supra illam Petram aedificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est. „Quantam vero memorati libelli auctor infert injuriam perillustri Galliarum genti, utpote quam Catholicae unitatis retinentissimam schismaticis putat erroribus posse implicari! Quanta illius temeritas est, quod ab obsequio ac fide erga Apostolicam Sedem abstrahendum fore confidat Clerum illum et spectatissimos praesertim Antistites, qui

Praedecessores inter suos Irenaeum recenseant Lugdunensis Ecclesiae Pastorem praeclara ista scribentem „Ad Romanam Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles“: qui nullo fracti metu, nullo retardati periculo, tum voce tum scriptis Nostra Sanctaeque Sedis jura vindicare certaverint, Nobisque exhibere nunquam intermiserint certissima devotionis argumenta! Quorum Nos, aliorumque per orbem Antistitum dum meritis ornamus praeconiis pastoralem curam, vigilantiam firmitatem, ipsos licet sponte sua incensos, erectosque ad Catholicae fidei defensionem, hortari tamen atque excitare pro hac temporum iniquitate non prætermittimus, ut quo validiores quotidie hostiles impetus fiant, eo firmiori animo sustinendos ac frangendos curent, atque adeo commissos suæ curae fideles de fallaciis insidiisque admonere non desinant, quibus avellere ipsos a Matris Ecclesiae gremio vaferrimi homines connitantur. Jam vero ex damnando illo libello, quaenam tandem sint auctoris et ceterorum omnium consilia, qui civilem Sanctae Sedi principatum extorquere conantur, detracta veluti larva manifeste deprehendimus. Scilicet nihil aliud intendunt ac moliuntur, quam ut Sanctissimae Religionis fundamenta subvertant. Id sane per provincias a civili Nostra dominatione injuste subreptas, id per reliquas Italiae regiones perfidissimis quibusque artibus studiose curari et videmus et ingemiscimus. Huc spectant disseminatae quaquaversus perversae sacrorum librorum interpretationes ad fidem corrumpendam, diffusa ad contaminandos juventutis mores turpissimorum libellorum colluvies, invecta quocumque effraenis vivendi licentia, despecta proculcata Ecclesiae potestas, sacra immunitas violata, subducta ab auctoritate et vigilantia Episcoporum publica juventutis institutio omnisque doctrinae morumque disciplina, praepositi docendo homines de religione prave sentientes, evulgatum in Umbria decretum de cunctis ferme religiosis familiis e claustro exturbandis, de extiguendis Collegiatis Capitulis, delendisque simplicibus cujusvis generis Beneficiis, piisque Sodalitiis eorumque bonis per summam injuriam occupandis; huc spectant conjecti in vincula ecclesiastici viri, ipsique sacri Antistites, quos inter Venerabilis Frater Archiepiscopus Urbinas nuper septus armis in custodiam traditus, et Cardinalitia etiam dignitate fulgens Venerabilis Frater Firmanus Antistes per vim abreptus a Sede sua, alioque relegatus, et ab omni commissi gregis curatione prohibitus, ac plures etiam Antistites et Sacerdotes e Regno Neapolitano vel in carcerem missi, vel ad fugam coacti; huc spectant, (nec sine acerbissimo doloris sensu memoramus) patefacta per nonnullas Italiæ civitates protestantibus templa, et publicæ etiam scholæ institutæ, ubi in perniciem Catholicae Religionis quælibet impune tradatur doctrinæ perversitas; denique promulgatum in Umbria decretum, quo matrimonium nuncupatum ab Apostolo magnum Sacramentum peculiaribus civilibus disciplinis illigatur, ac ferme subtrahitur ab Ecclesiæ potestate, eo fortasse consilio, ut postea civilibus dumtaxat subdatur legibus, eaque ratione, quod Deus avertat, legalis invehatur concubinatus cum extremo animarum detrimento. Atque hic, uti Apostolici Nostri muneris ratio postulat, quidquid contra Ecclesiae jura et patrimonium, contra religiosas personas earumque bona actum hucusque est, vel peragatur in posterum, damnamus,

reprobamus, ac nullius vis et roboris, ac prorsus irritum palam edicimus. Quanta vero ubique sit rerum omnium tum publicarum tum privatarum perturbatio, quantus in Europa motus, quantis dissidiis flagret Italia ecquis non videat, ac Nobiscum non maxime doleat? Tam multa tamque gravia rei sacrae et civili inflicta vulnera considerantes exclamare cogimur cum Propheta „infecta est terra ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.“ Hæc autem malorum congeries ab iis maxime repetenda, qui ut suam per Italiæ fines ditionem extendant, humana quaeque jura ac divina audacter pervertunt, qui publicae se felicitatis auctores jactant ac praedicant, quocumque tamen pervaserint, ibidem saevissimae veluti tempestates impressa relinquunt furoris excidiique vestigia. Utinam aliquando redeant insipientes ad cor, nimirum intelligant, Religione sublata, nullum humanae societati superesse praesidium tum ad stabilitatem tum ad quietem; utinam sibi aliquando persuadeant unam esse Catholicam Religionem veritatis magistram, virtutum omnium altricem, in qua civitatum, regnorum incolumitas salusque nitatur: meminerint aliquando, Apostolicam hanc Sedem nedum adversatam nunquam fuisse verae ac solidae populorum felicitati, quin etiam quovis tempore de universo hominum genere fuisse egregie promeritam; per illam namque traductae ad humanitatem barbarae gentes, veraeque religionis praeceptis institutae, sedati bellorum tumultus, provectae modis omnibus bonae artes ac disciplinae, calamitosis aegrisque recreandis publica charitatis excitata domicilia, asserta promulgata et principibus et populis vel in maximis perturbationibus justitiae atque honestatis principia. Haec atque alia quamplura per Apostolicam Sedem in bonum humanae societatis provide sapienterque peracta, multis eximiisque testata monumentis, ad omnis praedicationem temporis celebrabit historia.

Sed jam paternum animum Nostrum ad se revocat plurimis afflicta malis per Orientem Ecclesia, quæ tamen cruentis martyrum palmis nobilitari ornarique non desinit. Loquimur nempe, Venerabiles Fratres, de regno Choreæ, de Sinensium Imperio regnisque finitimis, ubi neque atrocissimis cruciatibus nec dirissimo quovis mortis genere debilitata aut victa est Christianorum in fide constantia; loquimur de Conchinchinae ac Tonchini regionibus, in quibus ad extinctionem prorsus christiani nominis acerbissime recruduit ethnicorum immanitas. Quid enim memorabimus collegia, cœnobia, templa, publicas privatasque ædes vel solo eversas, vel flammis absumptas? quid christifideles referemus cujusque ætatis, conditionis, ordinis partim sævissime exagitatos, nudatosque rebus omnibus hac illac errantes vitam trahere coactos quovis supplicio acerbiorem, partim in carcerem detrusos, omnique tormentorum genere excruciatos? qui tamen in ferendis pro Christo suppliciis ac morte obeunda veterum Ecclesiæ Martyrum fortitudinem retulerunt. Neque minus Nos tangit ac movet miserrima christianorum per Syriam conditio, qui licet a crudelissimæ caedis perpessione quieverint, assiduo turbantur metu, ne compressus tantisper militaribus Europæ copiis infidelium impetus in rapinas iterum cædesque furentius erumpat. Illorum Nos relevandis infortuniis, sin minus paternis desideriis parem, aliquam tamen pro angustis Nostris rebus pecuniae partem transmittendam curavimus,

quam offerre Nobis nunquam intermisit pia Catholicarum gentium liberalitas. Quarum etiam non sine laude commemoratum volumus egregium charitatis exemplum in recreandis subsidiorum largitate afflictis per Syriam fidelibus, atque adeo maximopere lætamur, nunquam languescere in Ecclesia virtutem illam, quam divinus Reparator præcipuum esse signum voluit Christianæ Religionis.

Hic, quem hactenus exposuimus, sacrarum rerum et publicarum status, deplorandus quidem ac luctuosus, Nos vehementer angit atque perturbat, et gravi etiam mœrore complet, Venerabiles Fratres; Vosque in partem vocatos procurationis Nostræ in partem etiam doloris venire non dubitamus. Sed tamen non concidamus animo, atque iteratis quotidie precibus levemus oculos nostros in montem, unde in tantis rerum asperitatibus opportunum expectemus auxilium. Aderit Ecclesiæ suæ Deus, aderit humilitati Nostræ, Ejusque Nos virtute roboratos ab officio et constantia Apostolici Ministerii nullus plane periculi metus, nulla deterrebit adversitas. Innocens christianorum sanguis, quo perfusa Orientalis terra est, in odorem suavitatis ascendat ad Dominum, illoque salutari velut sacrificio placatus gravissimas, quibus premimur, quæque impendent, calamitates propitius avertat; atque accedente Sanctissimæ Genitricis Dei ab origine immaculatæ patrocinio, et beatissimis Apostolis Petro et Paulo suffragantibus, concedat Ecclesiæ suæ de acerbissimis inimicis refere victoriam. Exsurgat aliquando in judicium Deus, hostesque sui nominis religionis excidium anhelantes, multa et nefaria in Ecclesiam molientes in fortitudine brachii sui disperdat et conterat, vel, quod potius et optamus et poscimus, divinæ gratiæ lumine collustratos in viam justitiæ et veritatis dives in misericordia clementissime traducat.“

Dabamus in Palatio Episcopali, Tarnoviæ festo Cathedrae S. Petri,
18. Januar 1861.

L. 2517.

II. Sprawozdanie Stowarzyszenia niepok. Poczęcia N. M. P. ku wspieraniu katolików w Turcyi i na Wschodzie, i t. d.

Załączamy tu ·/. po 1. egzemplarzu książeczki pod tytułem: "Zweiter Bericht des Vereines v. der unbefl. Empf. Mariens"... dla każdego Dekanatu ku wyprawieniu do Sz. Duchowieństwa Dekanal. z wezwaniem, aby przekonawszy się o postępie tego zbawiennego Stowarzyszenia, o dochodach ogólnych w kwocie 34573 R. 50$^{3}/_{10}$ c. prócz 3 duk. i o pojedyńczych 105. R. w papiérach a 1282 R. 70$^{2}/_{10}$ c. w gotówce, między powyższemi także o sumie 55 R. 40 c. z Diecezyi naszéj... tudzież o wydatkach 21,540 R. 95 c. i o pozostałych 14,420 R. 25$^{5}/_{10}$ c. z końcem marca 1860 nie tylko codzień z głębi serca zanosili prośby o rozszerzenie królestwa Bożego pomiędzy pohańcami, w najszczytniejszéj *Modlitwie Pańskiéj*, ale i na nowo datkami już to swojemi, już to zbiéranemi czynnie to najzbawienniejsze dzieło wspiérali i jałmużny hojne do Nas przysłali.

Dan 28. grud. 1860.

Nr. 1+2, 32+78, 33, 42+43+44+62, 47, 48, 73, 90, 108, 109, 114, 141, 181.

Collectiones piae pro variis.

I. E *Neo-Sandec.* Dec. *a)* pro infelicibus in Niagaryn, Engelsberg &c. in Circul. *Stryjensi* 2 fl. V. A. e Parochia *Jakubkowice* 87½ xr. et e *Tęgoborza* 1 fl. 12½ xr. *b)* pro Maronitis 33 fl. i. e. *Chomranice* 1 fl. e *Jakubkowice* 9 fl. 81 xr. (4 fl. 84 xr. a Parochianis, 4 fl. 97 xr. V. A. a V. Clero). e *Kamionka* 30 ct. e *Mystków* 50 ct. e *Wielogłowy* 80 xr. e *Męcina* 2 Rh. e *Pisarzowa* 4 fl. (a Parochianis 2 fl. 80 xr. et a V. Par. 1 fl. 20 xr.) e *Tęgoborza* 3 fl. 59. c. ex *Ujanowice* 11 fl. (a PP. 7. fl. a V. C. 4 fl.) e *Neo-Sandec.* et *Zbyszyce* nihil.

II. E Dec. *Mielec.* 3 fl. 60 cent. pro 9. exem. de Maronitis et summa omni expectatione major 241 fl. 20 xr. V. A. pro Maronitis — videlicet e *Gawłuszowice* 90 fl. e *Mielec* 52 fl. 20 xr. e *Baranów* 30 fl. e *Chorzelów* 22 fl. e *Padew* 20 fl. e *Trzęsówka* 12 fl. e *Rzochów* 10 fl. ex *Ostrowy* 5 fl. V. A.

III. E. Dec. *Bochn.* *a)* pro Missionibus Americanis — a Ven. Clero Curato *Łapczyc. Bochn. Mikluszov. Krzyżanov. Rzezav. Brzeźnic. Chełm.* per 1 Rh. et a Ven. Clero Curato in *Pogwizd.* et *Rzegocina* per 50 xr. e *Królówka* 80 c. e *Rzegocin* 60 c. a R. *Przybyło* 50 c. a Parochianis *Chełmen.* 1 fl. 12 c. a PP. *Rzezavien.* 3 fl. = 14 fl. 82 c. *b)* pro Infantia Jesu. a Ven. Clero Curato in *Łapczyca. Mikluszov. Krzyżanov. Rzezava, Trzciana, et* [*Chełm* per 1 fl. et in Pogwizdow 2 fl. et a Ro *Przybyło* Coop. Rzezav. 50 c. porro a schola subreali et capitali *Bochn.* 8 fl. 5½ c. a Parochianis *Chełm* 1 fl. 12½ detto *Rzezav.* 3 fl. = 22 fl. 68 c.

IV. E Dec. *Ropczyc.* pro Maronitis *a)* 5 fl. a D. Mart. Jarocki. *b)* 6 fl. 43 x. e Parochia *Brzeźnicensi* 13 fl. 80 x. et e *Witkovic.* 6 fl. 43 c. *c)* ex Ocieka 8 fl. 50 c.

V. E Dec. *Oświęć.* pro re Maron. 153 fl. 50 x. V. A. nimirum 8 fl. pro 20 libellis et *b)* a Ven. Clero cum fideli populo 145 fl. 30 x. et in specie e *Bielany* 12 fl. 40 x. e *Bulowice, Gierałtowice* et *Zator* per 5 fl. 40, 50, 60 x. e *Głębowice* et *Grojec* per 60 fl. 73, 20 x. e *Nidek* 3 fl. 68 c. e *Poręba* et *Przeciszów* per 7. fl. 30 x. ex *Osiek* 9 fl. 80 c. e *Włosienica* 8 fl. 60 c. e *Piotrowice* et *Polanka* 15 fl. 4, 40 x. ex *Oświęcim* 35 fl. 17 c. e *Czaniec* 1 fl. 8 c. e *Witkowice* 40 c.

VI. E Parochia *Makov.* 12 fl. V. A. VII. E Parochia *Bialen.* a Societate Infantiæ Jesu scholæ puellarum ibidem 18 fl. V. A. VIII. E. Parochia *Odporyszov.* 5 fl. pro re Infantiæ Jesu. IX. A. R. F. S. O. et J. 5. fl. pro Maronitis, item X. e Parochia *Kolbuszov.* 17 fl. XI. E Paroch. *Tuchov.* 11 et a Perillus. Præposito 2 fl. XII E Dec: *Myślenic.* 14 fl. 87 c. vid: e Paroch. *Izdebnic.* 7 fl. 50 c. ex *Harbutowicen.* 3 fl. 20 c. e *Pcim.* 2 fl. e *Myślenic.* iterum 2 fl. 17 c. XIII. Similiter 164 fl. e Dec. *Wadovic.* et in specie 8 fl. pro 20. libellis, e Collectione 156 fl. ut sequitur: e Paroch. *Andrychov.* 23 fl. 25 c. et thal.

Borus. 2 fl. *Barwałd.* 8 fl. *Choczn.* 17 fl. 20 c. *Frydrych.* 5 fl. 93. c. *Graboszyc.* 90 c. *Inwałd.* 9 fl. 30 c. *Klecza.* 10 fl. 60 c. *Palczov.* 2 fl. 90 c. *Radoczen.* 7 fl. 82 c. *Ryczov.* 2 fl. 40 c. *Rzycen.* 8 fl. *Tłuczan.* 15 fl. *Wadowic.* 24 fl. 20 c. *Wieprz.* 8 fl. *Witanov.* 7 fl. 10 c. *Wożnic.* 3 fl. 40 c. Pro Instituto Infantiae Jesu 5 fl. puta ex *Andrychov.* 2 fl. e *Palczov. Ryczov.* et Tłuczan per 1 fl. XIV. E Dec. *Wielopol.* pro Missionibus i. e. *Africana*, *Americana*, *Asiatica* per 7 fl. 56 c.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus S. descendat super cunctos res. Benefactores et maneat semper, inflammetq. alios quoque!

Dab. 24. Jan. 1861.

L, prez. 187.

Komitet c. k. Towarzystwa gospodarczo-rolniczego doprasza się wsparcia.

Kilkakrotnie czyniliśmy Odezwę do Szan. Duchowieństwa o zapomogę dla Towarzystwa tak dobroczynnego, wyłuszczając Jego potrzeby na zaprowadzoną szkołę rolniczo-praktyczną w Czernichowie i t. d. i załączając nawet Jego własne Odezwy z *Dowodami udziału* malowanemi, mianowicie pod 10. maja 1858 L. 1297 wzywaliśmy po raz pierwszy w tym r. z dodatkiem, aby Szan. Duchowieństwo za *2 miesiące* albo datki uzbierane wraz z *Dowodami* przysłało, albo o niepomyślnym skutku swego usiłowania Nam doniosło.— Toż samo powtórzyliśmy w Kur. VIII. duchow. i 3. Kur. szk. z r. 1859 i t. d. lecz dotąd z 2óch tylko Dekanatów otrzymaliśmy odpowiedź, z jednego kwotę pieniężną a z drugiego Dowody udziału przynajmniéj. Ponieważ Komitet wzmiankowany, w kłopotach z braku dostatecznego funduszu zostający znowu, pod 20. list. r. b. L. 1713 zapukał do Nas; ponieważ tenże Instytut obchodzi mocno okolice nasze, tuszymy Sobie, że niniejsza Odezwa skłoni Wielebne Duchowieństwo do zbierania składek i do wsparcia z własnéj kieszeni, i zechcą na końcu m. marca 1861 większe lub mniejsze datki przez Swoje W. Urzęda Dekanalne nadesłać do Nas, albo przynajmniéj odpisać o powodach niepomyślnego skutku, z zwróceniem tych *Dowodów udziału* kolorowanych.

Dan w Tarnowie 28. grud. 1860.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 24. Jan. 1861.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.